

Rome, 29 avril 1621. Bellarmin à Christophore Gewold.

Clarissimo et eruditissimo D-no D-no Christophoro Gewoldo
Robertus Cardinalis Bellarminus S.P.D. 2401

Clarissime et eruditissime Domine, Accepi libros tuos quos ad me misisti, quorum unum, ut tu ipse jubebas, ad Sanctissimum Dominum 5 nostrum, Gregorium Pontificem Maximum, alterum mihi retinui; sed non continuo rescripsi ad te, quoniam aeger in lecto decumbebam, neque ipse scribere, neque facile dictare poteram. Nunc depulso vel saltem imminuto morbo, significo, Pontificem Maximum libenter librum tuum accepisse et gratias egisse. Idipsum ego facio et magna ex parte 10 librum eundem perlegi. Summus autem Pontifex libenter concessit munuscula spiritualia, quae per me petieras, Indulgentiam videlicet plenariam cum sacrosanctum viaticum corporis Domini accipies; et omnes gratias, quae continentur in benedictionibus S. Caroli Boromaei, cum rosarium sive coronam B. Virginis recitas. Cognovi ex tuis literis 15 te jam bonum certamen certasse et cursum tuum pene consummasse; proinde tibi repositam esse coronam gloriae. Ego quoque jam senui et cursum meum fere consummavi. Oremus pro invicem, ut ad requiem aeternam perveniamus. Datum Romae die 29 Aprilis 1621.

Clarissimae Dominationis tuae

20 Amicus ex animo ac veluti frater

Robertus Card/lis Bellarminus.

Clarissimo D^{no} D^{no} Christophoro Gewoldo.

Ingolstadium.

München, Bibl. Regia, cod. lat. 1611 fol. 3.